

STEREOMETRIA DO-

lit, ut æquentur capacitate; quia vix vnquam profunditates ventrium ad diametrum orbis lignei, attingunt proportionem sesquiterciam.

Hactenus de figura Dolij Austriaci, sequitur,


De virga cubicâ eiusq; certitudine.

THEOREMA XXVI.

In dolijs, quæ sunt inter se figuræ similis: proportio capacitatum est tripla ad proportionem illarum longitudinum, quæ sunt ab orificio summo, ad imum calcem alterutrius Orbis lignei.

Sint dolia diversæ magnitudinis, specie eadem SQKT, XGCZ, quorum orificia OA, diametri orbium ligneorum QK, ST & GC, XZ, co-

Schema XXI.



rumq; ima T, K & Z. C. longitudines OK, OT æquales, sic & AC, AZ Dico, capacitates doliorû, esse in tripla proportione longitudinis OK, AC. Agantur enim per O, A, plana CV, AY, parallela orbibus ligneis, & sint duo trunci Conici, SV & VQ,

sic XY, & YG inter se similes. Quæ igitur de proportione dimidiorum doliorum sunt vera, illa etiam de duplicatis erunt vera. Sint igitur propositæ figuræ OVKQ, AYCG, conici trunci, sintq; latera figurarum OQ, VK, & AG, YC. Diametri Basium minorum QK, GC, diametri basium maiorum OV, AY; & OQKV, AGCY sectiones quadrilateræ figurarum per suos axes, similes inter se, earumq; diagonij OK, AC.

Ergo cum figuræ similes, sint ad se invicem in tripla proportione analogorum laterum, erit proportionis AG lateris ad OQ lateris, aut GC diametri, ad QK diametrum tripla, proportio GY corporis ad QV corpus. At in figuris planis trilateris AGC & OVK similibus, ut GC ad analogum QK, vel ut AG ad analogum OQ, sic etiam diagonios AC ad analogon diago-